

At forte quia unicum illud sincere sospitatis bonum diuturno infirmitatis usu desuevisti, id putes sanum esse tantillum citra supremum mortis articulum palpitare. Denique hoc vereor, illud ammiror, quod primum est cupio. De adventu meo, quem diligenter exquisitum esse voluisti, sic Deo volente statui, ut dedicationem cum anniversario vobiscum agam. De nepote tuo, quem in nostram officinam informandum destinasti, non me spondendi faciliorem quam prestandi paratorem Deo propicio experire. Vale.

32.

M(einhard) an (Anno von Köln): übersendet eine Cassiodor-Handschrift und bittet ihn, die Sorge für das Stift St. Stephan (in Bamberg) nicht einzustellen. (1064 Sommer.)

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 59.

Apostolice se^a dignitatis personam divinitus sortito¹ M. actus officii^b in hoc mundi theatro suscepti beatissimam in Christo Iesu consummationem.

Cum anno transacto per nos transiretis, in medio estu curarum, quæ vos ultro citroque distraebant, Cassiodorum me ad meridianam illam lectionem poposcistis atque in eo suavi quadam aviditate et avida quadam suavitate cepistis quasi hilarari^c, ut mihi mirum esset in illius animo, quem tantus occupationum tumultus circunsonaret, tam altum silentium liberumque ocium posse litteris contingere. Sed forsitan hoc est, quod arbitror, vos scilicet, quos in rerum humanarum illustri quadam et sublimi quasi specula divina sors posuit, vos inquam multo plura prospicere et amplecti quam nos, quos humili et obscuro loco fortuna dampnavit. Sed ut ad vos legentem redeam, inter legendum querula quadam^d indignatione submurmurastis male vos habere, quod Colonie vestræ, cuius amplitudini et opulentie nichil non redundet, talis deesset codex, ut facile animadverterem omnino vos eum transcriptum cupere; nec tamen id negotii cuiquam nostrum aperte iniunctum

32. a) *lies* sedis?

b) officiumque c.

c) hilluari c.

d) *folgt* et c.

1) *Über diesen Titel vgl. oben S. 341.*